





adoravit. Petrus eum prohibens, ait, Surge, & ego ipse homo sum, Actorum 10 num. 27. Cur Petrus non finit Principem sibi submitti, ut fiat cunctis manifestum, quanta veneratio debeatur Christi Vicario, Pontifici Ecclesie? Imperat tamen ei surgere; in tanto dignitatis apice, meminerat se esse hominem, & quamvis Pontifex ita se geberet, ne aliquid supra hominem in eo videretur: Ego ipse homo sum. D. Gregorius Papa part. 2. Curæ Pastoralis cap. 6. Petrus, ait, auctore Deo sancta Ecclesia principatum tenens, a bene agente Cornelio immoderatus venerari recusavit, seq. illi similem agnovit.

Gregor.

9.

Quartò. Hic homo erat paterfamilias, ac Dominus, ut ex ipometextu patet, ut notaui in limine quæstionis. Cur eius dignitas non indicatur? Seu cur eius nomen honoris gratia non manifestatur? Magnifica liberalitas, ac regalis magnificentia eum regem propalabat, nec enim nomine eger, qui à liberalitate ac beneficentia condecoratur; hæc est enim principum, ac regum nota. Quamvis ergo nomine dicatur, homo tamen operibus, ac factis rex, princeps, ac dominus monstrabatur, cum tanta beneficentia, ac largitate irradiaret. S. Hildebertus Cænomon. Episcopus de rege suo valde benefico sic scribit Epistol. 3. Nonit ille, ait, regiam manum melius donatio splendore, quam sceptro nitere, nec satis esse principi subditos ad bene agendum exemplis provocare, nisi promoveantur & præmijs.

Liberalitas regum nota.

Hildebertus.

10.

Cum Iacob peteret benedictionem à Patente suo Isaac recusabat senex, tamen ut sensit vestimentorum fragrantiam. Benedicens illi ait: ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. Genes. 27. num. 27. Dat ei largam benedictionem, qua princeps, ac rex populorum, & fratrum inaugurat. Serviant tibi populi, & adorent te Tribus, esto Dominus fratrum tuorum. Ibidem num. 19. Maxime inquirendum est, quisnam extiterit ille odor. Ecce odor filij mei, quo tantum Pater re-creatus est, ut tam amplam benedictionem filio impenderet. Per odorem Iacob D. Gregor. homil. 6. in Ezechiel. Procopius, Rupertus, & alij eius virtutes interpretantur. D. verò Ambros. esse odorem liberalitatis, qua cum ipse Iacob haberet cibum paratum ad comedendum ex ore præripuit, ut famescerent fratrem aleret. D. Ambros. lib. 2. de Isaac, & vita beata cap. 1. Nam licet, ait, dulcis, & suavis odor sit agri, est odor natura, tamen in sancto Patriarcha virtutum spirabat gratia. Quam continens erat parsimonia, qui cibum sibi paratum non expetiuit, sed petenti fratri sine dilatione concessit: a quo primatus benedictionem accepit. Redolebat animus Iacob largam beneficentiam, qua sibi paratum cibum noluit sumere, ut lassum fratrem reficeret, & qui tanta liberalitate imminabat odorem regis, ac principis immittebat, & bene dicitur odor agri pleni. Nam ager pinguis non sibi confitus est, sed ut alijs ferax sit; nec sibi suos fructus parturit, sed ut alijs largiatur, & dum frugibus repletus, sibi vacuus semper est.

Gregor. Procopius. Rupertus. Ambros.

Beneficentia regis odorem exhalat.

11.

Per Moysen mandat Deus dicere filiis Israël. Vos ipsi vidistis que fecerim Aegyptiis, quomodo portaverim vos super alas Aquilarum. Exod. 19. num. 4. Quæ combinatio in hoc negotio cum Aquila? Cur non ait, quod eos eduxit, ut Deus omnipotens, ac Dominus supremus, ac Rex Regum? De Aquila testatur Barthol. Anglicus lib. 22. cap. 1. Inter omnes avium diuersarum species, Aquila est maxime liberalis; nam prædam, quam

Barth. Angl.

atrupit, sola non comedit, sed filiis, imò aibus eam insequentibus, quasi communem exponit, & ideo semper Aquilam alia aves solent insequi, spectantes, quod de ipsius præda eis debeat aliquam portionem impartiri. Cum ergo ait, quod eos sustulerit, ut Aquila; ibi denotat, quod eos ut Rex, ac Dominus asportauerit, largiens, & diuidens in eis sua dona, quod Domini, ac regis proprius character est. D. Chrysofom. in Psalm. 113. Hoc maxime, ait, principem ostendit, quod scilicet suorum curam gerat, eisq. beneficiendo provideat, ac prospiciat.

Vbi beneficentia, ibi regalis animus.

Chrysof.

QVÆSTIO II.

Quare non homo dicitur Magnus, sed solum cæna Magna vocatur?

OM o quidam fecit cænam magnam. Deus semetipsum hominem tantum appellat, cænam verò magnam dicit. Si consideret Deus in suis operibus, semper per respectum ad ipsa opera Deus magnus, & excelsus visus est; opera verò attenra Dei maiestate parua, & angusta apparent. Formavit Dominus Deus hominem de limo terra. Genes. 2. num. 7. Dominus Deus, ut eius magnitudo exprimat; de limo verò terræ dicitur, seu ut explicat Procopius, de parte puluerulenta in superficie terræ volitante, ut vilitas, & paruitas hominis declaretur.

12.

Genes. 2.

13.

At verò in Eucharistico sacramento tantum est operis fastigium, ut Deus sua infinita sapientia disponat, & ordinet, quod altaris sacramentum magnum, & excelsum semper appareat, ad cuius conspectum ipse, qui immensus, & infinitus est, veluti vnus ex vulgaribus, ac paruulis hominibus sine vilo nominis splendore se exhibeat. Homo quidam fecit cænam magnam. Qui cænam parat Homo quidam; nomen commune, ac vulgare, quod paruulis hominibus solet adaptari; at verò opus ipsum, Deus nempe sacramentatus valde magnum, & sublime. Fecit cænam magnam. Ait D. Augustin. in Psalm. 33. Verbum illud, quo pascuntur Angeli, sempiternum, quod est aequale Patri, manducauit homo: fugiantur ergo illo Angeli, sed semetipsum excinavit, ut manducaret panem Angelorum homo. Sempiternus Dei filius exinanitus, ac humiliatus factus est, ut institueretur supremus ille cibus Angelorum, quo homines pascerebantur.

Christus magnum nomen non sibi, sed sua Eucharistia imponit.

August.

14.

Mat. 11.

De felici statu Ecclesie Catholice loquens Isaias cap. 11. num. 6. Habitat lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & onis simul morabuntur; Vitulus, & ursus pascuntur, &c. Id est, ut est communis Interpretum expositio apud Leonem à Castro, Sanches, Cornélium, homines dediti ferinis, ac lupinis, & leoninis moribus suscepta Christi fide ac doctrina mites, ac humiles reddentur. Subdit tamen Propheta. Puer paruulus minabit eos. Septuaginta, Pagni. Duet eos. Iuxta communem sententiam puer paruulus Christum Dominum significat; sed ipse quomodo dicitur puer paruulus. De eo vaticinatur David. Exultavit ut gigas ad currendam viam. Psalm. 18. num. 7. Tanta celeritate veluti gigas currit viam nostræ redemptionis, ac salutis, ut explicat D. Ambros. D. Augustinus D. Irenæus, Cassiodorus, & alij, in qua veluti Saliens in montibus,

Septuaginta. Pagni.

Psalm. 18. Ambros. August. Irenæus. Cassiodor.

Cantic. 2.

ribus, transliens colles. Cantic. 2. num. 8. Quosdam saltus dedit per Incarnationem, natiuitatem, vitam, miracula, ac opera, & per crucem, & mortem; si ergo in tantis mysterijs gigas, quomodo cum illos ducit puer paruulus dicitur: ait Propheta, Vitulus, & ursus pascuntur: explicat Diuus Thomas, cibo Sacramentorum. Conuocantur homines ad pascua Eucharistici mysterij, in quo tota Dei gloria nitet, & irradiat, ut ait D. Ignatius Epistol. 14. Cuius tanta altitudo, & sublimitas, ut cunctis aperta sit, ille qui est gigas in operibus suis, tanquam puer paruulus se exhibens, ostendit viam, ducatumque præstat ad cæleste pabulum.

D. Thomas.

15.

Esther. 1.

Tertio anno imperij sui fecit, scilicet Assuerus, grande conuiuium principibus, & pueris suis. Esth. 1. num. 3. Maxime ponderandum, quod conuiuium dicitur grande, non verò Assuerus illud exhibens, cum tamen multis alijs in locis ille hoc nomine insignitus scribatur, ut in decreto de nece Iudæorum intante Aman. Rex maximus Artaxerxes. Esther 13. num. 1. Et cum reuocat huiusmodi mandatum, ut alibi notaui. Rex magnus Artaxerxes Esther 16. num. 1. Cur hic in suo grandi conuiuium non grandis etiam dicitur? Assuerus Christum Dominum, illius verò conuiuium Christi Eucharisticas dapes adumbrare docent ibi Cornelius, & Mendoca tom. 3. in 1. lib. Regum. cap. 9. vers. 2. num. 24. Glossam allegans, & multum luculenter, ac erudite sapientissimus Magister Celada in c. 1. Esther. à §. 41. & deinceps per plures. Cum ergo Assuerus Christum Dominum, conuiuium illud sacram Eucharistiam adsignificaret. Conuiuium nomine grandi fulget, non verò Assuerus, quia Christi Dominus quodammodo magnitudinis nomen à se dimittit, ut illud splendide suo conuiuii adseribat, ut illius celsitudo, ac magnitudo cunctis fiat præuia, & nota.

Esther. 13.

Esther. 16.

Cornelius.

Mendoca.

Celada.

Christi conuiuium dicitur grande, non verò rex exhibens.

16.

Difficultas quæstionis.

IN quæstionem voco cur hic homo potius fecit cænam, quam prandium. Nam rex ille in noptijs filij sui. Misit per seruos dicere inuitatis: Ecce prandium meum parauit. Matth. 22. num. 4. Ratio huius rei desumitur ex his, quæ dixi cap. 22. Expositione 2. vbi notaui celeberrima, & magnifica conuiuia apud antiquos noctu apponi, ac exhiberi, & ideo pro ampla magnitudine huius conuiuii potius cæna, quam prandium appellari. Secunda, & celeberrima ratio depromitur ex significatione. Nam ut tradunt Glossa, Euthym. Beda, Albertus Magn. D. Bonau. D. Anton. Olylip. ferm. in Dominic. 1. post Trinitatem, denotat beatitudinem, ac cælestem gloriam, qua in regno Dei fruimur. Et rectè cæna vocatur, quia confertur vespere, id est in fine vitæ post huius sæculi labores, post quam nulla alia communicabitur refectio, quia ipsa æterna est. Hoc ante supra citatos docuit Tertul. lib. 4. contra Marc. c. 31. Cæna, ait, paratura vitæ æternæ saturitatem figurat. D. Gregor. homil. 36. in Euang. Cæna dicitur, inquit, quia post cænam conuiuium nullum restat. Et quia æternum Dei conuiuium nobis in extremo preparabitur, restum fuit, ut hoc non prandium, sed cæna

17.

Glossa.

Euthym.

Beda.

Albert.

Bonauent.

Anton.

Tertull.

Gregor.

Æterna beatitudo cæna comparatur.

vocaretur. Et sicut cæna sine lumine non celebratur, & si lumen absit, ferula non intuentur: sic cæleste conuiuium, sine lumine, quod Theologi lumen gloriæ vocant, non exhibetur, quod necessarium est, ut Deus ipse de facto cernatur; dico de facto, ut à quæstione de possibili, quam disputant Theologi, abstraham.

Tertio. D. Cyrill. in Catena Græca. Conditor omnium, atque gloriæ Pater parauit cænam magnam in Christo per altam. Nouissimis enim temporibus, & quasi in occasu nostri sæculi, illuxit nobis Dei filius, & mortem pro nobis sustinens, dedit nobis proprium corpus comedere; unde & agnus in vespere immolabatur iuxta legem Mosaicam; merito igitur cæna dictum est, paratum in Christo conuiuium. Quæ sententia maxime confirmatur ex vsu Ecclesie, quæ hanc parabolam legit, & adaptat festo Eucharistici sacramenti, quod rectè dicitur cæna, in hoc enim vltimo seculo, seu in vespere vitæ Christi institutum est, in eoque sunt omnia spiritualia ferula, ut nihil amplius habeat homo quid desideret, & appetat; lucerna autem huius cæna est fides, qua hic cibus sumendus, ac gustandus est.

18.

Cyill.

In cæna adumbratur sacra Eucharistia.

19.

Petra in deserto percussa dedit ingentem aquarum copiam: Percussit petram, & fluxerunt aque. Psalm. 77. n. 20. De quo loquens idem Propheta ait. Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra mellis saturauit eos. Psalm. 80. num. 17. De quo Moyses locutus ait: Oleum de saxo durissimo. Deutero. 32. num. 13. Si petra dedit adipem, seu pinguedinem, seu medullam frumenti, quomodo mel, oleum, & aquam; si erat medulla frumenti, quomodo oleum; si oleum, quomodo mel, & tandem quomodo aqua? Petra illa erat Christus 1. Corinth. 10. n. 4. præfigurabatur ibi cibus Eucharisticus à Christo dandus Ecclesie sue, in quo spiritualiter est saturitas frumenti, dulcedo mellis, suauitas olei, & abundantia aquæ; In hoc enim pane viuo Christi, quidquid optaueris, quidquid conducere potest, vel ad saturitatem, vel delicias, totum ibi plenissime inuenies, ut nihil amplius habeas, quod concupiscas. D. Pachasl. de corpac sang. Domini. c. 9. Hoc frumentum, ait, corpus videlicet Christi adipem habet, & non solum adipem, sed & omnes delicias: ita & potus sanguinis. Vnde, quod de petra mystice manauit, nunc mel, nunc oleum, nunc quoque potus dicitur: quia quidquid prægustare spiritualiter poteris, hoc totum ibidem inuenies.

Psalm. 77.

Psalm. 80.

Deuter. 32.

1. Corinth. 10.

In sacra Eucharistia omnia desiderabilia.

Scribebat Paulus suis discipulis. 1. Conrith. 3. numero 2. Lac vobis potum dedi, tanquam infantibus. Loquens Deus Moyli in Agypto, promittensque egressionem ex illo loco, Exod. cap. 3. num. 17. Ducam vos in terram lacte, & melle manantem. Ex vtroque loco inter se comparato magna quæstio exoritur, ut ait Clemens. Alexandrin. citandus. Lac à natura, ac Paulo paruulis infantibus, ut eo crescant, & nutriantur, exhibetur. Idem met lac vitis robustissimis viuentium terram iam possidentibus, post bella, sudores, ac victorias, promittitur. Ducam vos in terram fluentem lac, & mel. Quomodo idem lac, quod pro infantia nutrimento paruulis conceditur, pro corona, & laurea fortissimis bellatoribus confertur? Clem. Alexandr. 1. Prædag. cap. 6. Iure iustis, ait, lac promittitur, ut aperte Verbum esse vtrumq. ostendatur Alpha, & Omega, principium, & finis. Verbum inquam, quod allegorice lac dicitur. Illud lac allegorice denotat lacteum Verbum, seu Eucharisticum conuiuium, in quo inest Alpha, & omega, principium, & finis, ac consummatio omnium bonorum.

20.

1. Corinth. 3.

Exod. 3.

Clem. Alex.

Omne bonum in Eucharistia.